

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XX - N. 2

1988

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1988

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu proprio datae <i>Ecclesia Dei</i>	151
---	-----

ACTA COMMISSIONIS

Responsum ad propositum dubium	155
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

I. Direttorio per la visita «ad limina»	156
II. Decretum <i>Dominus Marcellus Lefebvre</i>	166
III. Normae de Episcopis ab officio cessantibus	167

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio III)	169
II. Coetus studiorum «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio IV)	214

DOCUMENTA

De Iuris Canonici authentica interpretatione in actuositate Pontificiae Commissionis adimplenda	265
The Personal Power of Governance of the Diocesan Bishop	288
Opera a Commissionis Bibliotheca recepta	311
Index Rerum Generalis	313

COETUS STUDIORUM
« DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO »

Sessio IV
(Conventus dd. 21-24 aprilis a. 1969 habitu)

Diebus 21-24 aprilis 1969 in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC « De Magisterio Ecclesiastico ».

Conventibus interfuerunt Exc.mi ac Rev.mi septem Consultores.

Praeterea, conventibus, ubi tractatum fuit de scholis, interfuit Ill.mus D.nus Ioannes Lindemans, Secretarius Generalis Officii Internationalis pro Scholis Catholicis (Bureau international de l'insegnement catholique), qui nomine indicabitur Periti.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere praesidis et relatoris functus est; Rev. Marianus De Nicolò, adiutor a studiis Commissionis, munere actuarii. Aliquibus conventibus interfuit etiam Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.


Quaestiones in hoc studiorum coetu tractandae sunt:

« De scholis » (art. I); « De universitatibus in genere » (art. II); « De universitatibus ecclesiasticis » (art. III); de recognitione legislatio-
nis « De seminariis » (initium).

RELATIO SESSIONIS IV ET CANONUM RECOGNITIO
DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Initium sumitur ab argomento de scholis, iuxta textum distributum, uti exstat in Relatione sessionis III huius coetus mense octobri 1968 habitae, sub titulo *Canones approbati in hac sessione, A. « De Scholis »*.

Exc.mus primus Consultor, ineunte sessione, quaerit utrum textus canonum huius materiae erit ultimus seu definitivus an non. Ratio quia Sacra Congregatio pro Educatione Catholica mense septembri h.a. de hisce argumentis in sua « Plenaria » tractabit. Quid erit tunc — quaerit



Exc.mus Vir — si fortasse conclusiones laborum Sacrae Congregationis et Commissionis in omnibus inter se non conveniunt? Insuper, adiungit Exc.mus idem Consultor, eadem Sacra Congregatio conventum faciet Rectorum Universitatum Catholicarum et postea Peritorum de Scholis.

Tres sunt, igitur, pro Exc.mo eodem Consultore, possibilitates:

- 1) differre huius coetus discussionem usque ad habitam dictam Plenariam Sacrae Congregationis;
- 2) audire Ill.mum Peritum;
- 3) si textus huius coetus erit ultimus, adsit possibilitas aliqua mutandi iuxta indicationes illius Plenariae.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. pro regula in coetibus nostris haberi numquam textum definitivum esse, sed semper revisioni subiici posse. Textus definitivus seu ultimus dici potest pro studio Consultorum, sed non ex sese, quia examini subiici debet Plenariae Patrum Cardinalium nostrae Commissionis et postea etiam Episcoporum, etsi adhuc nescimus qua forma. Observaciones tamen omnium, et praesertim Dicasteriorum Romanae Curiae, attente considerabuntur.

Rev.mus Secretarius Ad. textum canonum de scholis, uti in Relatione prioris sessionis exstat, legit, et ex Ill.mo Perito quaerit si aliquid adnotandum habeat.

Ill.mo Viro haec notanda videntur: imprimis textus qui nunc propo-
nitur multo melior est quam qui anno 1917 factus est.

Magnae res, enim, interea acciderunt, uti ex. gr. declaratio universalis iurium hominis, anno 1948; iuris agnitione pro parentibus et confessionibus religiosis proprias scholas habendi; vindicatio libertatis ex parte populo-
rum Asiae et Africæ, etc.

Necesse igitur est ad textum quam maxime definitum in hac re
devenire, prae oculis habendo mundi huius temporis progressum et ipsius
exigentias.

Variae sunt conditiones quae habentur in mundo circa scholas.
Persaepe iuvenes catholici scholas non catholicas petunt vel adeunt et
hoc in casu, ex. gr., Episcopi circa has scholas nihil facere vel decernere
possunt. Ideo praescriptum Codicis « de iudicio loci Ordinarii » nihil
dicit.

Adest insuper varietas quam maxima in formis scholae catholicae
in mundo existentibus, quae inter formas optimales et minimales — ut
ita dicatur, prosequitur Ill.mus Vir — comprehenduntur.

Est optimalis forma scholae catholicae illa, quae in Litteris Encyclicis
Divini illius Redemptoris describitur, quae tamen forma in dies rarer

fit. Forma minimalis scholae catholicae est illa in qua maior pars sive dissentium sive docentium non est catholica et quae tamen a hierarchia catholica agnoscitur et approbatur, sicuti ex. gr. accidit in Algeria. Est enim vere servitium in bonum totius humanitatis. Et etiam haec forma minimalis repudiari nequit, sed prae oculis haberi debet.

Circa ipsum titulum haec Ill.mus Peritus habet animadvertisenda: melius esset ut inscriberetur « *de educatione christiana* »; nam a canone 1 usque ad canonem 5 sermo est de educatione et non de scholis. Etiam documentum conciliare — notat Ill.mus Vir — agit de educatione christiana et non de scholis.

Rogat insuper Ill.mus Peritus ut quaestio de educatione seorsum tractetur ab illa de Magisterio ecclesiastico ad scholas tuendas illarum nationum, ubi schola prolatione ipsius hierarchiae nequit esse, sed remanet servitium in bonum totius populi.

Quoad titulum Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut inscribatur « *de educatione christiana* » iuxta propositionem Ill.mi Periti.

Concordant omnes.

Exc.mus secundus Consultor praeferret tamen divisionem materiae ita ut habeatur caput generale, ubi de educatione christiana tractetur, et caput speciale, ubi de scholis et de universitatibus, uti mediis ad educationem christianam.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit necessitatem non imminuendi momentum scholae catholicae.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem ponit de loco ubi ponendi sunt hi canones, sub qua paragrapho generali vel uti pars omnino independens.

Exc.mo secundo Consultori non placet ut res seorsum tractetur.

Rev.mus Secretarius Ad., prae oculis habens adumbratum schema. Em.mis Patribus Commissionis anno 1968 propositum, circa quaestionem « *de ordinatione systematica novi Codicis Iuris Canonici* », proponit ut haec materia ponatur ut pars specialis n. III, 1^a Sectio.

Exc.mus primus Consultor mavult ut ponatur in n. II, ubi de populo Dei, dum Ill.mus Peritus ubi de activitate Ecclesiae in mundo.

Exc.mus secundus Consultor notat quod ista materia tractatur uti consectarium alicuius muneris in Ecclesia, secus ei in Codice locus non esset.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit materiam uti activitatem propinquiore Magisterio Ecclesiae esse, et ideo proponit ut inseratur tamquam pars specialis de Magisterio ecclesiastico.

Conveniunt omnes alii.

Ad singulos canones:

Canon 1

« Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur, atque simul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur ».

Exc.mus secundus Consultor querit quid significet expressio « proprio fini respondentem ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. significare quod proprio fini personae respondet; vel propriae vocationi (Peritus).

Textus canonis placet omnibus, et probatur uti est.

Canon 2

« § 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum etiam est educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiæ ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere, quorum opera formationi filiorum providere valeant, ideoque et eas eligere scholas in quibus iuxta locorum adiuncta et normas ab Episcoporum Conferentiis statutas, filiorum educationi christiana aptius prospiciatur.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis necessariis ut educationi filiorum provideant propriae conscientiae consitaneae, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eorum formatio christiana harmonico gressu cum profana progrediatur ».

§ 1 = Probatur uti est.

§ 2 = Placet uti iacet.

Quoad § 3:

Exc.mus primus Consultor notat sufficere hic enuntiare tantum principia generaliora et ideo nihil de scholis dicere, de quibus sermo erit postea. Notat insuper iudicium de valore scholae catholicae rem esse omnino delicatam et proponit ut textui finem imponatur post verba « providere valeant ».

Exc.mus tertius Consultor adnotat inconvenientiam in scholis catholicis adesse per accidens et parentes debere per se scholas catholicas seligere.

Post aliquam disceptationem omnes conveniunt cum Rev.mo Secretario Ad. circa opportunitatem aliquid generale praevidentum de mediis eligendis.

Idem Rev.mus Dominus proponit textum prout sequitur:

« Parentibus christianis... providere valeant, ideoque et ea eligere media et instituta, quibus, iuxta locorum adiuncta et attentis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis, filiorum educationi christiana aptius prospiciatur ».

Placet omnibus.

Quoad § 4:

Rev.mus quartus Consultor notat nimis indeterminata esse verba « subsidiis necessariis », cui tamen respondet Rev.mus Secretarius Ad. necessario textum genericum esse debere.

Adiungendum etiam est — notat Rev.mus Secretarius Ad. — verbum « consentaneae » post locutionem « propriae conscientiae ».

Ill.mus Peritus animadvertisit loco « subsidiis » melius esse si de « adumentis » textus loquaeretur; nam verbum « subsidium » pecuniam redolet. In decreto conciliari de educatione christiana sermo est de « auxiliis ».

Ratione latinitatis — notant Exc.mus primus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. — auxilium et subsidium unum et idem significant. Ergo in textu potest remanere locutio « subsidiis ».

Rev.mus quintus Consultor mallet ut loco « necessariis » dicatur « quibus indigent ».

Conveniunt omnes alii.

Rev.mi quartus et sextus Consultores aliquam habent difficultatem ex repetitione verbi « parentibus » sed explicat Rev.mus Secretarius Ad. prius agi de parentibus in genere et postea de parentibus christianis.

Rev.mus Secretarius Ad. textum, qui sequitur, proponit:

« Parentibus... subsidiis quibus indigent in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda, parentibus christianis... ut eis formatio tradatur harmonico... progrediens ».

Placet omnibus.

Canon 3

« § 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi omnesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles praeprimis iuvenes fruantur ».

Rev.mus Secretarius Ad. notat ibi agi de iure et officio, quod circa educationem ad Ecclesiam spectat.

Exc.mus primus Consultor animadvertisit textum huius paragraphi a Concilio desumptum esse, ubi tamen sermo est de officio ac non de iure.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. officium in iure fundari: quis habet ius quatenus habet officium.

Post aliquam discussionem omnes conveniunt in retinendo textum canonis sicuti iacet.

Canon 4

« Ecclesiae ius est operam suam adiutricem praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium commune pertinent; imo, quantum adiuncta id requirant, ipsius est officium operam suam praestare ut eis tradatur haec formatio in disciplinis terrenis, quatenus cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint ».

Exc.mus primus Consultor notat locutionem « operam... adiutricem » non exprimere si agatur necne de officio subsidiario Ecclesiae in hac re. Retinet Exc.mus Vir innendum esse controversiam haberi et quaestionem non esse dirimendam.

Sustinet Rev.mus Secretarius Ad. nequi Ecclesiae tribuere ius principale. Ipse retinet agi de iure subsidiario, sed, quidquid sit de hac quaestione, in canone quaestio non dirimitur.

III.mus Peritus potius quam « adiuncta id requirant », praefert ut dicatur « permittant ». Adiungit insuper textum sibi videri nimis restrictivum respectu textus Concilii in declaratione educationis christianaee ubi dicitur « christifideles se devoveant educationi puerorum ».

Rev.mus quintus Consultor praefert ut loco « quantum » dicatur « quatenus ». Proponit etiam ut loco « Ecclesiae ius est » dicatur tantum « Ecclesiae est »: quod placet omnibus.

Aliqua interiecta disceptatione circa extensionem quae donari debet huic canoni, omnes convenient de textu qui, auditis animadversionibus Exc.mi primi Consultoris, Rev.mi quinti Consultoris et Ill.mi Periti, proponitur a Rev.mo Secretario Ad.:

« Ecclesiae est adiutricem suam operam praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quippe quae ad commune omnium patrimonium pertineant, et ita insimul omnibus populis adiutorium praestat ad promovendum integrum personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris provehendum atque humanius hunc mundum aedificandum; immo, speciali ratione ipsi officium est ut, quantum id requirant adiuncta, formationi operam det in disciplinis terrenis, quatenus nempe cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint ».

Placet omnibus.

Canon 5

« § 1. Cum omnis vera educatio integrum persequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et adolescentes ita excolantur oportet ut suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et ad vitam socialem active participandam conformentur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua iuvenes efformantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorumdem educationi christianaee obstent, eidem quam maxime faveant, utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint ».

Quoad § 1:

Agitur de obiecto — dicit Rev.mus Secretarius Ad. — quod intendere debet Ecclesia cum educatione.

Exc.mus primus Consultor proponit ut haec paragraphus transferatur post can. 1, quia praecise agitur de obiecto educationis; ita ut habeatur primo de iure omnium hominum ad educationem, postea de obiecto ipsius educationis et deinde de parentibus et de Ecclesia.

Contradicunt Rev.mus Secretarius Ad. et alii: res, ergo, remanet prouti iacet.

Rev.mus septimus Consultor notat sibi videri superfluum verbum « omnis ».

Omnes convenient ut tollatur.

Exc.mus primus Consultor instat ut rerum dicendarum ordo mutetur: ratio quia, saltem sensu pedagogico, prius libertas et postea responsabilitas habetur; prius rectus usus libertatis, qui postea exercitium responsabilitatis implicat.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hunc esse ordinem quo loquitur Concilium in declaratione de educatione christiana (n. 1).

Alia quaestio movetur a Rev.mo quinto Consultore, an, quod in hoc canone continetur, revera sit materia quae ad Codicem pertinet: an sit reapse materia iuridica.

Exc.mus primus Consultor retinet rationem etiam pastoralem considerari debere et hac causa oportet ut canon remaneat.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet sensum iuridico-pastoralem hunc canonem habere et saltem aliquo modo materiam iuridicam dici posse.

Ill.mus Peritus animadvertis dari ex hac materia consectaria iuridica uti, ex. gr., scholas catholicas educationem restringere tantummodo institutioni doctrinae catholicae non posse.

Omnes, ad extremum denique, convenient ut canon remaneat sicuti est.

Quoad § 2:

Placet omnibus.

Canon 6

« Inter media ad excolendam educationem, christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis exercendo, praecipuo auxilio sunt ».

Hic canon — dicit Rev.mus Secretarius Ad. — media ad educationem

excolendam respicit, ideoque cum hoc canone ad disceptationem de scholis catholicis fit gressus.

Ill.mus Peritus petit ut vel hic vel alio in loco conceptus exprimatur quod christifideles etiam laborem laicorum et religiosorum quoad institutionem magni faciant. Concilium ex. gr. — prosequitur Ill.mus Vir — copiose hoc fecit sive in declaratione de educatione christiana n. 5 et in n. 10 decreti renovationis vitae religiosae, ubi sermo est de existimatione Ecclesiae erga opus, a religiosis institutorum laicalium peractum, erudienda iuventutis.

Exc.mus primus Consultor suggerit ut non tantum dicatur christifidelibus non solum magni faciendum esse laborem laicorum et religiosorum in hac materia, sed active cum iis cooperandum; quod, hodie praesertim, videtur maximi esse momenti. Necessa igitur est, iuxta mentem Exc.mi Domini, aliquid innuere de consociationibus parentum et magistrorum.

Habitis pree oculis suggestionibus Ill.mi Periti et Exc.mi primi Consultoris, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut huic canoni — mutato verbo « exercendo » cum « implendo » — alia adiungatur paragraphus, quae sic se habet:

« § 2. Cum magistris scholarum, quibus filios educandos concrederant, parentes arkte cooperentur oportet, eos sua fiducia omnique ope sustentantes; qui vero magistri, sive clerici vel religiosi, sive laici, eximio muneri iuvenes educandi in scholis se devotent, cum, ad bonum quidem societatis insimul dum adlaborant, locum teneant parentum, officium suum persolvant intime collaborantes cum ipsis parentibus, quorum quidem consociationes conventusque instaurentur atque magni habeantur (*vel: ... in officio suo persolvendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi sunt quorumque consociationes et conventus instaurentur atque magni existimentur*) ».

In prima formula — notat Rev.mus quintus Consultor — verba « conventusque instaurentur » nimis praeceptiva videntur: est res quidem laudabilis et commendanda, sed ipse dubitat de exitu eius praeceptivitatis.

Exc.mus secundus Consultor praefert ut dicatur « vel saltem » loco « et conventus ».

Rev.mo Secretario Ad. quaerenti an Consultores preferant primam vel secundam (intra parentesim) redactionem alterius partis istius paragraphi, omnes concordant, etiam ratione latinitatis, cum secunda redactione, ita ut textus hoc modo sonet:

« § 2. Cum magistris scholarum... locum teneant parentum, in officio suo persolvendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi quorumque consociationes vel conventus instaurentur atque magni existimentur ».

Placet omnibus.

Canon 7

« Parentibus, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur ».

Textus placet omnibus, mutato « parentibus » cum « parentes » (primus Consultor).

Canon 8

« § 1. Parentes, quantum sinant adjuncta, filios concredant scholis catholicis, scholis scilicet in quibus institutio traditur quae spiritu doctrinae christiana, uti a Magisterio ecclesiastico definitur, sit imbuta, sive ab ipsa Hierarchia sint erectae, sive ab aliis sint conditae sed uti reapse catholicae ab eadem Hierarchia sint agnitae; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo diocesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. Si certis in adjunctis, de iudicio loci Ordinarii, parentibus licet filios educandos concredere scholis in quibus formationi eorum christiana non provideatur, ipsi obligatione tenentur curandi ut pericula tali educationi inhaerentia avertantur utque extra scholas debite filiorum educationi christiana prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica latae ».

Quoad § 1:

Notat Exc.mus primus Consultor hic haberi applicationem de rebus quae Ill.mus Peritus dixit, idest in multis nationibus non adesse possibilitatem in praxim deducendi ea quae de educatione christiana praescribuntur.

Ill.mus Peritus petit ut prima pars huius paragraphi, quae attinet ad definitionem scholae catholicae, mutetur, relinquendo iudicium circa

scholas ab alumnis catholicis frequentandas Conferentiis Episcopalibus. Et proponit ut dicatur tantum: « Parentes... filios... scholis quae uti reapse catholicis, a Hierarchia sint agnитae ».

Hic est modus magis concretus — animadvertisit Exc.mus tertius Consultor — definiendi scholam catholicam.

Etiam omnes alii conveniunt in suggestione Ill.mi Periti.

Rev.mus Secretarius Ad. legit textum completum:

« § 1. Parentes, quantum id sinant adiuncta, filios concredant illis scholis quae uti reapse catholicis, a Hierarchia sint agnитae; quae scholae si deficiant... (uti in priori textu) ».

Placet omnibus integra paragraphus.

Rev.mus quintus Consultor annotat in Codice hierarchiam inscribi litteris minutis, dum nos littera maiuscula utimur. Ex adverso Rev.mus septimus Consultor notat Concilium adhibere litteram maiusculam.

Omnis conveniunt de adhibendo modo scribendi Concilii, sed usu constante servato.

Quoad § 2:

Ill.mus Peritus petit emendationem huius paragraphi: ratio est quod non est loquendum de periculis ex scholis non christianis. Ipse tantum diceret « si desint scholae de quibus in § 1, parentibus licet filios... ».

Rev.mus Secretarius Ad. tamen notat non sufficere dictionem « si desint », sed necessarium esse addere « in certis adiunctis » sicut est in textu.

Rev.mus quintus Consultor quaerit utrum necessaria sit permissio Ordinarii loci, an iudicium propriae conscientiae sufficiat.

Neque expedit ut textus loquatur de exceptione — notat Exc.mus tertius Consultor — quia omnes exceptionem invocabunt: rem relinquerre conscientiae parentum melius est.

Potest supprimi locutio « de iudicio loci Ordinarii » — proponit Rev.mus Secretarius Ad. —; locutio servata est solum quia erat in Codice, et revera non est res practica.

Tandem aliquando post aliquam disceptationem Rev.mus Secretarius Ad. hanc formulam proponit:

« In casibus in quibus filios scholis de quibus in § 1 concredere non possint, ipsi parentes obligatione tenentur curandi ut extra scholas debitae eorundem educationi christianaे prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica competenti latas ».

Placet omnibus.

Canon 8 bis

« Episcoporum Conferentiis, atque, earundem praescriptis attentis, locorum Ordinariis competit normas edicere, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definiantur parentum quibus, certis in adjunctis, filios scholis non catholicis concredere licet ».

Exc.mus primus Consultor praefert dictionem numero singulari potius quam plurali verborum « Episcoporum Conferentiis » et « locorum Ordinariis ».

Loco « Ordinariis locorum », Rev.mus Secretarius Ad. diceret « Episcopis dioecesanis », quia tantum Episcopus et non Vicarius Generalis normas edicere potest.

Exc.mus tertius Consultor vellet ut praeter parentes mentio fieret etiam de pastoribus animarum ad eorum officia in hac re definienda.

In fine disceptationis omnes conveniunt ut hic canon fiat § 3 canonis 8. In textu mutantur tantum verba « locorum Ordinariis » cum « Episcopis dioecesanis »; cetera manent prouti iacent.

Canon 9

« Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant ».

Cum nulla sit difficultas, textus probatur ab omnibus sicuti est.

Canon 10 (1375 CIC)

« Ecclesiae ius est scholas cuiusvis disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi ».

Placet omnibus.

Canon 11 (1379 CIC)

« § 1. Si praesto non sint, quae ab incoepitis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcoporum praesertim est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expedit, Ordinariorum locorum est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbatae, quae pro temporis adjunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant ».

Exc.mus secundus Consultor quaerit an non expeditat duas paragrapbos unire, adiungendo ad § 1 locutionem « scholae quas profesionales et technicas nuncupant ».

Sed respondet Rev.mus Secretarius Ad. non eandem esse rem.

Rev.mus quintus Consultor omittetur adverbium « praesertim » ex eo quod non est in § 2; sed contradicit Rev.mus Secretarius Ad. expressionem « Ubi id expeditat » fere eandem rem exprimere.

Habetur aliqua disceptatio etiam circa convenientiam, vel minus, magis determinandi scholas profesionales vel technicas, quia ex. gr. in textu Concilii elenches harum scholarum est longior (Peritus); sed cum omnis elenches periculosus evadere possit, sicuti quando agitur de exemplificatione, atque cum omnis enumeratio evadere possit taxativa, necessarium est ut textus genericus remaneat. Itaque non videtur ideo necessarium adiungere locutionem « et alia huius generis », vel « et alia huius modi » (Secretarius Ad., tertius Consultor).

Tandem aliquando omnes convenient ut textus remaneat sicuti est, dempto in § 1 adverbio « praesertim » et suffecto post « Episcoporum » verbo « dioecesanorum ».

In § 2, loco « Ordinariorum locorum » dicatur « Episcoporum dioecesanorum ».

Placet omnibus.

Canon 12 (novus)

« § 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentiae et locorum Ordinarii ut institutio quae in iisdem tradatur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non catholicarum sui territorii, curantes praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes ».

Ill.mus Peritus quaerit ut idea exprimatur Ordinariis locorum curandum esse de educatione christiana alumnorum, ubi in scholis non habetur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de hoc iam provisum esse in § 2, can. 3.

Exc.mus primus Consultor notat dicendum esse « traditur » loco « tradatur ». Placet.

Textus probatur sicuti est, cum emendatione verbali ab Exc.mo primo Consultore suggesta.

Canon 13

« § 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuuentutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiarum et locorum Ordinariorum est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Locorum Ordinariis competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae sint et dirigantur; eisdem etiam competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta etiam valent de scholis quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.

§ 3. Episcoporum Conferentiis atque locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationem christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur ».

In § 1 — notat Rev.mus Secretarius Ad. — habetur submissio omnis institutionis religionis catholicae Ecclesiasticae Auctoritati.

§ 2 — dicit idem Rev.mus Secretarius Ad. — quasi ad verbum praescriptum Decreti *Christus Dominus* repetit (cf. n. 30, 4); et pressius determinare nimis particulare esset ut in Codice tradatur.

Exc.mus primus Consultor dicit se habere aliquam difficultatem ex verbo « institutio ». Difficultas persentitur in translatione huius termini in linguis vernaculis, sicuti factum est pro titulo Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Nam prius italice translatum fuit « per l'insegnamento » et postea « per l'educazione ». Pro Exc.mo Domino vox latina « institutio » duplicum continet elementum, intellectuale nempe et educativum.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in iure romano verbum « institutio » idem significare ac « insegnamento » et in textu adhibitum esse verbum « institutio » praecise ad affirmandam necessitatem educationis moralis praeter traditionem doctrinae.

Sed, instat Exc.mus primus Consultor, titulum pro hac parte Codicis inscripsimus « de educatione christiana ».

Ill.mus Peritus dicit pro se verbum « educatio » etiam « institutio » comprehendere.

Exc.mus tertius Consultor censem quaectionem dirimendam esse a viris in latinitate peritis, quia disputationes sunt et erunt, etiam ex parte pedagogica.

Pro Rev.mo quinto Consultore bonum est utrumque verbum iuxta ponere.

Exc.mus secundus Consultor retinet educationem comprehendere tum doctrinae traditionem tum persone formationem.

Instat Ill.mus Peritus educationem respicere formationem hominis completam et ideo potiorem esse.

In fine admittitur ut pro nunc utrumque « institutio » et « educatione » in textu servetur.

Exc.mus primus Consultor notat saltem tribus vicibus textum loqui de invigilantia: agitur semper de eadem functione, sed Episcopi, praeter invigilantium, debent habere etiam incepturn.

Respondet Rev.mus Secretarius hanc repetitionem, praesertim hodie, quam maxime iuvare.

Rev.mus quintus Consultor explicat eo ipso insertum fuisse ita ut non semper Episcopi incepturn habere debeant.

Ill.mus Peritus querit an verbum « invisendi » — de quo in § 2 — eadem significatio habeat ac « visitandi ». Ipse censem, pro exegesi historica, melius esse verbum « visitare » servare, quia est in Codice.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. locutionem istam in textu conciliari occurrere et « invisere » idem significare ac « inspectio ».

Si non est in textu Concilii — notat Exc.mus tertius Consultor — melius est terminologiam Codicis servare.

Instat Ill.mus Peritus Decretum *Christus Dominus* (n. 30, 2) uti verbo « visitet ». Sed Rev.mus quartus Consultor notat M. P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 35, uti verbo « invisere ».

Omnis conveniunt de verbo « invisendi » retinendo.

Textus canonis probatur uti iacet.

Canon 14 (1381 § 3 CIC)

« § 1. Episcoporum Conferentiis pro scholis interdiocesanis sui territorii, locorum Ordinariis pro sua cuiusque dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in directorio alicui regioni proprio ».

Rev.mus Secretarius Ad. notat § 1 fuisse iam in Codice (can. 1381, § 3), sed nunc aptiore modo res exprimi.

Nulla fit animadversio et ideo textus probatur uti est.

Canon 15 (novus)

Ill.mus Peritus petit ut canon vel paragraphus adiungatur, ubi sermo fiat de coordinatione in re scholastica, ad mentem n. 12 Declarationis conciliaris de educatione christiana et, iuxta ea quae habentur in Decreto conciliari de activitate missionali, n. 31, et in Decreto *Christus Dominus*, nn. 17-35. Et adiungit rem pro Conferentiis Episcopalibus omnino necessariam esse.

Exc.mus primus Consultor notat argumentum magni momenti esse.

Exc.mus secundus Consultor censem saltem aliquid necessarii esse dicendum.

Denique Exc.mus tertius Consultor animadvertisit coordinationem in omnibus necessariam esse, sed praecepsim pro Universitatibus studiorum.

Rev.mus Secretarius Ad. dicit se non videre quomodo dari potest collaboratio inter scholas elementares ex. gr. Belgii et Americae.

Ill.mus Peritus notat Episcopos collaborare debere cum magistris et Rev.mus sextus Consultor animadvertisit Concilium loqui de collaboratione inter scholas.

Exc.mus primus Consultor instat ut textus habeatur, etiam quoad mentionem de collaboratione inter Episcopos diversarum nationum.

Etiam Exc.mus secundus Consultor eandem tenet sententiam.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « et cum Episcopis aliarum nationum », at quaerit an necessarium sit dicere « collaboratio et coordinatio » vel « collaboratio » tantum.

Rev.mus sextus Consultor notat Concilium de utraque loqui.

Saepe accedit — notat Ill.mus Peritus — Episcopos suam dioecesim curare absque ullo respectu ad regionem, nationem vel continentem et ad eorum politicam scholasticam.

Rev.mus Secretarius Ad. textum qui sequitur examini Consultorum proponit, qui ut can. 15 ponitur:

« Current Episcopi dioecesani singularum regionum ecclesiasticarum, consiliis quidem inter se initis, ut de re scholastica similis quantum id

fieri possit adhibeatur agendi ratio, utque inter scholas diversarum regionum apta foveatur coordinatio atque, prout id sinant adiuncta, provehatur collaboratio quam universae communitatis bonum requirit ».

Exc.mo primo Consultore non placet verbum « similis » et Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut eius loco dicatur « communis ». Sed Rev.mus quintus Consultor notat verbum « similis » adesse in can. 21. Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. illum canonem respicere Universitates. Rev.mus quintus Consultor instat notando forsitan can. 21 superfluum esse. Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. ne coordinatio Universitatibus tantum circumscripta videatur.

Ill.mus Peritus instat ut, praे oculis habitis condicionibus praesertim Medii Orientis et Americae Latinae, coordinatio non circumscribatur Universitatibus tantum et alias proponit emendationes, quas Rev.mus Secretarius Ad. in forma ponit: post « consiliis quidem inter se » adiungatur « atque cum Episcopis dioecesanis aliarum etiam regiorum »; loco « prout sinant adiuncta, provehatur... requirit » dicatur « quatenus id sinant adiuncta, etiam collaboratio », caeteris demptis. Adiungatur denique indicatio fontis: Decl. de Educ. christiana, n. 12.

Omnes convenient de emendationibus propositis et textus probatur.

Art. II

RECOGNITIO CANONUM DE STUDIORUM SUPERIORUM INSTITUTIS

Circa titulum articuli, Rev.mus Secretarius Ad. sententiam praesentium exquirit, et post aliquam disceptationem omnes convenient ut « De Studiorum Superiorum Institutis » inscribatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut de iis agatur prius in genere et dein in specie, et transitus fit ad recognitionem canonum huius articuli.

Canon 16 (olim 22)

« Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur scientiae profanae, quippe quae ad hominum bonum commune ideoque ad eorundem bonum spirituale quoque conferant, quaeque praeterea, ad profundorem rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant ».

Exc.mo primo Consultori quaerenti undenam textus desumptus sit, respondet Rev.mus Secretarius Ad. eum ex n. 10 declarationis conciliaris de educatione christiana sumptum esse.

Exc.mus primus Consultor animadvertisit textum loqui tantum videri de Universitatibus cum facultatibus scientiae profanae absque facultatibus scientiarum sacrarum. Huiusmodi tamen Universitates — animadvertisit Ill.mus Peritus — habentur in America Latina.

Rev.mo Secretario Ad. proponente, omnibus placet ut loco « scientiae profanae » dicatur « disciplinae scientificae ».

Exc.mus primus Consultor alium ordinem dicendarum rerum proponit, ita ut prius bonum spirituale et postea bonum commune ponatur.

Sed animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. « bonum spirituale » intendendum esse bonum religiosum et ideo ordo rerum in canone propositus rectus videtur: a bono enim communi transitus fit ad bonum spirituale religiosum.

Instante Rev.mo G. Philips, alias Coetus studiorum Consultore — notat Rev.mus Secretarius Ad. — usi non sumus vocabulo « supernaturale ».

Animadvertisit Rev.mus quintus Consultor ea, quae Exc.mus Dominus dicit, valere, si bonum commune sensu christiano intelligitur.

Si vocabulum « spirituale » eundem sensum habet ac « religiosum » — dicit Exc.mus primus Consultor — ordo rerum in textu placet; aliqua tamen ambiguitas manet e conceptu vocabuli « spiritualis » et forsitan alia formula magis clara invenienda esset.

Adnotat Rev.mus Secretarius Ad. per culturam generalem ambitum creari ad veritatem revelatam altius cognoscendam.

Ill.mo Perito perplaceret ut in textu expressio « elevatio hominis » insereretur.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit:

« ... disciplinae scientificae, quippe quae, ad altiorem hominum culturam cum conferant, bono eorum spirituali quoque proficiant, quaeque praeterea... » (cf. Const. de Ecclesia in mundo huius temporis, n. 57; fides et cultura in n. 10 Declarationis conc. de educatione christiana).

Placet omnibus.

Canon 17 (olim 23)

« Nulla studiorum Universitas nomen “Universitatis catholicae” gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta

sit, aut cui nomen "Universitas catholica" ad eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia, audita Apostolica Sede, concessum sit ».

Notat Rev.mus Secretarius Ad. omnes Universitatem erigere posse, sed non posse eam catholicam vocare. Norma, hodie praesertim, est quam maxime necessaria. Et res, non uni Episcopo, sed Conferentiae Episcopali reservari debet.

Placet textus uti est.

Canon 18 (olim 24)

« Ubi, attentis omnibus adiunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae current ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altioris promovendo studio (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Notat Exc.mus primus Consultor tentationem adesse erigendi Universitates, etiam ubi non habentur possibilitates ad hoc faciendum.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad.: propterea expressio « si id fieri possit et expedire iudicaverint Episcoporum Conferentiae » inserta est.

Necessario inceptum (« iniziativa ») privatorum suum habet ius, tamen pro tituli Universitatis Catholicae concessione, semper Sanctae Sedi est recurrendum.

Textus placet et probatur uti iacet.

Canon 19 (olim 25)

« Ut theologica inquisitio aptius cum quaestionibus cuique temporis propriis connectatur atque hominibus variarum disciplinarum excultoribus ad pleniorum fidei quoque scientiam auxilio esse valeat, current Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expedit et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones pro laicis quoque tradantur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Exc.mus primus Consultor notat rationem huius canonis duplarem esse: nempe ad investigationes theologicas incitare atque hominibus excultoribus stimulum praebere ad fidem augendam. Quaerit utrum illae rationes sufficient, et proponit ut addatur alia etiam consideratio: ut visio totalis habeatur ut singulae disciplinae (in synthesi superiore datae) inserantur in visione totali mundi et Dei et illa visio hominum praebatur.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit hanc, proh dolor!, neque in Facultatibus Theologicis haberi, et notat desiderium Exc.mi Domini certo bonum esse, sed iam aliquatenus exprimi.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post « quoque scientiam » adiungatur locutio ex n. 57 Const. De Ecclesia in mundo huius temporis deprompta, nempe « universaliorumque ordinis creati cognitionem ».

Placet suggestio Rev.mi Secretarii Ad., quacum integer textus canonicus ab omnibus probatur, mutato etiam « aptius » cum « arctius ».

Canon 20 (olim 26)

« In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, ita ut etiam altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 36) ».

Exc.mo primo Consultori quaerenti an obiectum principale huius canonis sit finis an methodus, respondet Rev.mus Secretarius Ad. methodum esse: explicatur, scilicet, ratio qua illa methodus debet adhiberi.

Loco « ita ut etiam » — notat Rev.mus Secretarius Ad. — dicatur « atque adeo ».

Placet textus cum emendatione proposita.

Canon 21 (olim 27)

« Curent Universitatum catholicarum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates sibi invicem praestent operam, utque, ad universae hominum communitatis bonum, amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando easque promovendo, in scientificis pervestigationibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12) ».

Exc.mus primus Consultor notat in canone aliquam indicari finalitatem sed tantum in secunda parte, ubi de collaboratione agitur, dum in prima esset indicanda. Finalitas, insuper, quae in secunda parte indicatur nimis generalis est et remota. Melius esset exprimere finalitatem magis proximam, ne res generali nimis modo indicetur. Impressio habetur — concludit Exc.mus Dominus — alicuius loci communis.

Rev.mus quintus Consultor censet amitti posse indicationem illius finalitatis. Et Exc.mus primus Consultor petit ut verba « ad universae hominum communitatis bonum » deleantur.

Omnes suggestionem Exc.mi Domini acceptant et canon probatur, quoad caetera, uti est, mutato ex animadversione Em.mi Praesidis, « invicem » cum « inter se ».

Canon 22 (olim 28)

« Provideant Episcoporum Conferentiae regionis atque locorum Ordinarii ut christifidelibus adultis quoque praebeatur possilitas ad profundiorem in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academie scientiarum religiosarum, in quibus nempe docentur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent ».

Ill.mus Peritus quaerit an melius sit in fine canonis dicere « ad culturam christianam », vel « culturam religiosam ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. melius esse « christiana ». Nam « religiosa » — animadvertisit Em.mus Praeses — est expressio magis lata quam « christiana ».

Canon probatur ab omnibus sicuti est.

Canon 23 (olim 29)

« Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniorum veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur ».

Cum nulla sit animadversio, textus canonis probatur prout iacet.

Art. III

RECOGNITIO CANONUM « DE UNIVERSITATIBUS
ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM »*Canon 24 (olim 15)*

« § 1. Magni facit Ecclesia Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum, quae scilicet fines persequuntur disciplinas sacras vel cum sacris connexas altius pervestigandi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientifice instituendi.

§ 2. Cultus ac promotoio scientiarum ecclesiasticarum scientifico prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianaee plenius aperiatur, quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur atque dialogus etiam cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus foveatur (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 11).

§ 3. Altior alumnorum institutio obtainenda est praecipue directa fontium cognitione, investigationibus aliorumque laborum scientificorum usu, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant ».

Quoad § 1:

Hac in paragrapo — dicit Rev.mus Secretarius Ad. — finis et munus generalia studiorum, nempe investigatio et institutio, Facultatibus ecclesiasticis applicantur. In paragaphis quae sequuntur finis et munus seorsum tractantur: in § 2 potius fines magis explicantur: de primo fine et de methodo assequenda agitur; in § 3 methodus magis indicatur.

Exc.mus primus Consultor censet pressius ligamen cum veritatis revelationae perscrutatione indicari debere; indicare, scilicet, rationem missionis vel muneris docendi Ecclesiae cum ratione Facultatum. Ideo — ait Exc. mus Dominus — « pervestigandi sacras disciplinas » non tantum sese refert ad disciplinam, quantum ad ipsam veritatem: quod pervestigari debet — concludit ipse Exc.mus — non est disciplina sed revelatio, id est obiectum disciplinae.

Tamen, animadvertisit Em.mus Praeses, quando dicitur disciplina, dicitur etiam obiectum ipsius.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « Ecclesia, vi muneris

sui veritatem revelatam servandi, declarandi et docendi, favet Universitates... ».

Ecclesia Facultates et Universitates instituit — notat Rev.mus Secretarius Ad. — non tantum propter suum munus docendi, sed etiam quia est societas suprema et suos subditos etiam quoad scientias profanas instituere potest.

Em.mus Praeses et Exc.mus secundus Consultor notant « docendi » omnia comprehendere et ideo potest supprimi « servandi, declarandi ».

Omnis concordant, et ideo textus hoc modo se habet: « Ecclesia, vi munera sui veritatem revelatam docendi, fovet Universitates... etc. », prout in textu, addito, post « persequuntur », « ea quae ».

Placet omnibus.

Quoad § 2:

Placet textus uti est, addito vocabulo « scientifico » post « ecclesiasticarum ».

Quoad § 3:

Rev.mus quintus Consultor aestimat necessarium aliqua dicere de synthesi instituenda in studiis theologicis, uti ex. gr. « ita ut singularia investigationi obiecta synthesim alumni facere valeant, vel habiles fiant ».

Censem Exc.mus secundus Consultor rem esse forsan nimis particularem et concretam.

Respondet tamen Rev.mus quintus Consultor etiam alia quae dicuntur sat concreta esse.

Tandem aliquando Rev.mus Secretarius Ad. textum qui sequitur proponit:

« Quo altior ipsis scientifica tradatur formatio, instituantur alumni praecipue in directa fontium cognitione, in investigationibus aliorumque laborum scientificorum, usu, atque edoceantur in conclusionibus ad synthesim redigendis, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant ».

Placet omnibus.

Canon 25 (olim 16)

« § 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum consti-tui tantum possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet instituti religiosi vel saecularis, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata ».

In veteri textu dicebatur « probata » loco « approbata », notat Ill. mus Peritus, cui tamen respondet Rev.mus Secretarius Ad. melius esse « approbare » quia « probare » significare potest etiam « laudare ».

Eodem Ill.mo Viro querenti quid de Universitatibus incepto laicorum privatorum creatis, respondet Em.mus Praeses in prima parte § 2 provisum esse.

Placet totus canon.

Canon 26 (olim 17)

« Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate a Sancta Sede concessa ».

Cum nulla sit animadversio, canon probatur uti est.

Canon 27 (olim 18)

« Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant studiorum rationem, quae determinatur ab Apostolica Sede aut, servatis quidem normis ab eadem statutis, ab Episcoporum Conferentia ».

Circa rationem studiorum, Ill.mus Peritus animadvertisit S. Congregationi de educatione catholica minimum tantum statuendum esse, ultra quod Universitatibus libertas relinquenda est.

Hunc praecise esse sensum canonis declarat Rev.mus Secretarius Ad. Et — adiungit Exc.mus primus Consultor — est principium quod recognoscitur constitutione *Deus Scientiarum Dominus*; periculum igitur non adest Sanctam Sedem nimis rationem studiorum determinare.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « aut », dicatur « et », ita ut studiorum rationem determinant tum Sedes Apostolica tum Episcoporum Conferentiae. Et optimum videtur quod Episcopis relinquatur determinare normas peculiares.

Sed, quaerit ipse Rev.mus Vir, quid de Universitatibus quae sub moderamine Religiosorum sunt?

Rev.mo quarto Consultori, si ponitur « et » loco « aut », inutile videtur incisum « servatis quidem... statutis ».

Contradicunt tamen alii, qui incisum necessarium retinent.

Animadvertisit Exc.mus primus Consultor Episcopos ultra minimum alia quidem statuere posse, sed secundum normas ab Apostolica Sede prolatas.

Rev.mus Secretarius Ad. instat circa quaestionem de Universitatibus quae moderamini Religiosorum sunt obnoxiae. Et etiam Em.mus Praeses censem saltem aliquid dicendum esse de hac re.

Luxta Ill.mum Peritum res est satis implicata, quia in hoc casu multae sunt potestates legem ferentes: S. Congregatio, Conferentia Episcoporum et Auctoritas Suprema religiosorum. Adest insuper legislatio particularis, quae approbatione Sanctae Sedis indiget.

Rev.mus sextus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. disputatione inter se an necessario semper Sancta Sedes approbare debeat statuta particularia: tenet Rev.mus sextus Consultor, negat Rev.mus Secretarius Ad.

Exc.mus primus Consultor tenet statuta Facultatum et Universitatum approbari debere a Sancta Sede; et statuta ut approbentur, debent iuxta Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* esse redacta.

Ill.mus Peritus proponit ut dicatur: « Universitates sese conforment studiorum rationi, quae ab Apostolica Sede determinatur ».

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: « ... et, servatis quidem normis ab eadem editis, ab auctoritate ad quam, secundum earum statuta, suprema hac de re in iisdem Universitatibus Facultatibusque ordinatio spectat ».

Hoc modo — notat Rev.mus Secretarius Ad. — provisum est etiam Universitatibus et Facultatibus quae moderamini Religiosorum sunt subiectae.

Rev.mus quintus Consultor hanc quaestionem ponit: in textu Episcoporum Conferentiae videntur habere supremum regimen Universitatum, quod nimis esset: ut nulla Facultas vel Universitas hoc concederet. De coetero — notat idem Rev.mus Pater — nemo dicere potest, ex. gr. in Germania, Conferentiam Episcopalem supremum regimen Universitatum ecclesiasticarum habere.

Notat Exc.mus primus Consultor textum satis generalem esse et non dicere semper esse Conferentiam; sed — intervenit Rev.mus Secretarius Ad. — pendet a statutis ab Apostolica Sede approbatis, in quibus determinatur cuinam supremum Universitatis regimen spectet.

Canon probatur cum emendatione a Rev.mo Secretario Ad. proposita.

Canon 28 (olim 19)

« Quo Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuantur, iudicium de earundem erectionis opportunitate competit sive Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius

interest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 16, earundem erectionem approbare (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Ill.mus Peritus, ad ordinem logicum servandum, petit ut hic canon post canonem 25 (olim 16) ponatur, quia de Universitatum et Facultatum erectione distributioneque agit.

Omnes concordant.

Cum nulla sit animadversio, canon probatur prout iacet.

Canon 29 (olim 20)

« § 1. Quatenus dioecesis aut Instituti religiosi vel saecularis, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes ad Universitates Facultates studiorum ecclesiasticorum mittere clericos et sodales indole, virtute et ingenio praestantes (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 18; Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

§ 2. Ordinariorum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint, qui in Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordinariorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastorali quoque prospicere (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 18) ».

Quoad primam paragraphum querit Exc.mus primus Consultor quiam iudicet de clericis et sodalibus ad Universitates Facultatesve mitten-dis, praesertim cum id bonum regionis ecclesiasticae vel ipsius Ecclesiae universae requirat.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. textum nequire magis determinari, tamen principium esse affirmandum.

Textus integri canonis probatur sicuti iacet.

Canon 30 (olim 21)

« Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 62) ».

Placet textus, et probatur sicuti sonat.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Rev.mus Secretarius Ad. aliqua de schemate rerum dicendarum de Seminariis in relatione prioris sessionis repetit. Haec legislatio ponetur sub titulo generali « De clericis » cum locum proprium non habeat sub titulo « De magisterio ».

Ad methodum quod attinet, idem dicta in superiori Sessione Rev.mus Secretarius Ad. recolet, et tantum pro III parte, nempe de administratione bonorum melius est textum Codicis sequi et videre quaenam remanere debeant.

Canon 1355 CIC

Necessarium est Episcopum media pro substantiatione Seminarii habere, sed Rev.mus Secretarius Ad. deleret § 3.

Praevidendus est casus, notat Rev.mus quintus Consultor, in quo plures Episcopi unicum Seminarium erigant, ita ut quisque pro rata parte provideat, sed — animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. — stipis et taxae debent remanere.

*Canon 1356 CIC**Quoad § 1:*

Exc.mus secundus Consultor censet omnia, quae in canone continentur, repetenda esse; secus — adiungit Rev.mus Secretarius Ad. — si non dicuntur Episcopus amplius ius non habet; verba tamen adaptanda sunt ad normam iuris.

Exc.mus primus Consultor notat quod utique res dicendae sunt modo magis generali, dummodo efficaciter provideatur Seminarii substantiationi.

Posset dici — animadvertisit Rev.mus quintus Consultor — quod omnis persona physica vel moralis quae administrationem habet, debet ad substantiationem Seminarii contribuere.

Tamen — notat Rev.mus Secretarius Ad. — si textus supprimitur, potest dici omnes in Codicis elenco contentos non amplius teneri.

Forsitan hodie in Ecclesia — dicit Exc.mus secundus Consultor — aliter res oeconomica tractari debet.

Tamen saltem aliqua principia fundamentalia determinanda sunt de bonis temporalibus Seminarii, notat Rev.mus Secretarius Ad.

Quoad §§ 2 et 3:

Omnis convenient ut res Episcoporum Conferentiae relinquantur determinandae.

Canon 1357 CIC

Decernere spectat ad eum vel eos qui supremum regimen tenent.

Canon 1362 CIC

Exc.mus tertius Consultor notar hunc canonem extendi posse ad omnes qui ad divina ministeria sese praeparant; item aestimat adesse debere aliquod consilium administrationis; quod constare etiam laicis possit, adiungit Rev.mus quintus Consultor.

Exc.mus secundus Consultor non videt necessitatem huius coetus vel administrationis consilii, quia Seminarii oeconomus Consilio administrationis totius dioecesis est submissus.

Necessarium est, notat Rev.mus Secretarius Ad., quia Seminarium personalitatem iuridicam canonicam — et saepe etiam civilem — et administrationem propriam habet.

Post aliquam disceptationem, omnes convenient ut loco « De Seminariis » titulus inscribatur « De Institutione Clericorum ».

Rev.mus Secretarius Ad. textum parabit canonum, qui examini Consultorum submittentur.

Canon 1 (1352 CIC)

« Ecclesiae officium est atque ius proprium et exclusivum eos insti-
tuendi qui ad ministeria ecclesiastica se praeparant ».

Redactio Codicis, notat Rev.mus Secretarius Ad., nimis imperfecta videtur et censet ut innui debeat etiam ratio cur Ecclesia hoc habeat officium et ius, quia scilicet societas suprema et perfecta. Sed alii censent sufficere quae dicuntur.

Post aliquam disceptationem circa dictionem « sacra ministeria » (secundus Consultor), « ministeria et munia » (quartus Consultor) et circa « se devovere intendunt » vel « se praeparant » (Secretarius Ad., secundus, quintus et septimus Consultores), Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « qui ut ad ministeria ecclesiastica deputentur se praeparant ».

Placet suggestio Rev.mi Secretarii Ad. et canon probatur cum hac emendatione.

Canon 2 (novus)

« Auctoritates quae de clericorum institutione normas edant competentes sunt Sancta Sedes et praeterea, ad institutionem clericorum dioecesanorum quod attinent, Episcoporum Conferentiae regionis et districtus regionis atque Episcopi dioecesani, ad normam canonum qui sequuntur, ad institutionem clericorum in Institutis religiosis aliisve aequiparatis, Superioribus Institutorum, ad normam Constitutionum ».

Rev.mus septimus Consultor petit ut mentio regionis et districtus omittatur, quia dicitur « ad normam canonum qui sequuntur » et in canone 6 illud denuo dicitur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hic tantum enuntiari principium generale de competentia.

Exc.mus primus Consultor vellet ut « Episcopi dioecesani » adiungatur « singuli vel coniuncti ».

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an melius sit dicere « competentes sunt Sancta Sedes... » vel « praeter Sanctam Sedem... ».

Idem Rev.mus Secretarius Ad. proponit etiam ut loco « aliisve aequiparatis » dicatur « vel saecularibus »: placet omnibus.

Exc.mo secundo Consultori redactio huius canonis non videtur satis expolita, sed aestimat ea quae ibi dicuntur valde bona esse.

Exc.mus primus Consultor notat ibi casum dari ad Conferentiae Episcoporum competentiam augendam. Sanctae Sedi tantum approbatio reservetur circa ea quae a Conferentia statuta sunt. Magis differentiatio modo tamen rem enuntiaret. Animadvertisit etiam Conferentias Episcopales non nimis gravare debere Conferentias districtus et Episcopos dioecesanos singulos; neque nimis ad singula descendant Conferentiae Episcopales regionales, ita ut nullum spatium habeatur pro inceptis singulorum Episcoporum.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet hoc canone tantum instantiae competentes indicari.

Rev.mus sextus Consultor censem dicere sufficere normas, a Conferentia statutas, postea a Sancta Sede recognoscendas esse.

Non est hic locus — notat Exc.mus secundus Consultor — tantum instantias competentes enuntiandi.

Notat Rev.mus quintus Consultor textum, per ius commune, potestatem Apostolicae Sedis restringere tantum ad quaedam generaliora.

Textus, pro nunc, remanet uti est, addito « iuris et » post « ad normam » (Secretarius Ad.), atque suffecto « eorum Superiorum » loco « Superiorum Institutorum » (quintus Consultor).

Canon 3 (1353 CIC)

« § 1. Universae communitati christiana officium incumbit foventarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1) ipsi parentes christiani current ut familiae cui praesunt ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustentantur;

2) magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, etiam Consociationes iuvenum catholicae, in educationis ratione ad vocationes excolendas animum intentum habeant;

3) peculiari ratione sacerdotes, prae caeteris parochi, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentium animos ad ministeria sacra allectent, debita quidem semper cum prudentia eos ad vitam ministerialem amplectendam inducentes;

4) Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incopta ad vocationes foventas, sustentent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni ope adiuvent.

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter incitentur (stimulentur) ac debite praeparentur ».

Hic canon de vocationibus agit: canon unicus — notat Rev.mus Secretarius Ad. — uti quaesitum fuit. Est canon satis longus sed magni momenti.

Rev.mo quinto Consultori quaerenti si nihil de vocationibus in Coetu de Sacra Ordinatione statutum sit, Rev.mus Secretarius Ad. respondet ibi tantum affirmari quod curandum est ut vocationes habeantur.

Ad singula: § 1, n. 1^o

Exc.mo secundo Consultori quam maxime placet mentio in canone de vocationis sustentatione a familia, et praferret ut dicatur « facilius oriri possint ».

Non placet verbum « oriri » Exc.mo primo Consultori, quia — dicit Ipse — elementi vocationis vestigium deficit, et operationis mere humanae impressio habetur.

Sermo fieri posset — notat Exc.mus tertius Consultor, cui accedit Exc.mus primus Consultor — de divina vocatione ita ut sensus naturalizationis vocationis ecclesiasticae tollatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut « in quo, Deo favente... oriri... » dicatur, sed non multum ei placet formula, quia agitur de recognoscendo Codice et non de tractatu theologico. Attamen non est semper possibile utrumque secernere, animadvertisit Exc.mus tertius Consultor.

Rev.mo quinto Consultori placet textus prouti iacet.

Exc.mus primus Consultor suggerit mutare verbum « oriri » cum « evolvi ». Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., quia « evolvi » aliquem ortum supponit. Exc.mus primus Consultor declarat se non insistere.

Tandem aliquando omnes concordant de textu, qui probatur ut iacet, cum hac tantum emendatione: loco « familiae cui praesunt », dicitur « familiae suae ».

§ 1, n. 2º

Rev.mus septimus Consultor notat in decreto de institutione sacerdotali Concilium habere « praecipue Consociationes », hic autem affirmari « etiam », ita ut referatur ad magistros et alios. Placet.

Non nimis directe statuendus est finis Consociationum, notat Rev. mus quintus Consultor, quia sunt Consociationes quae hunc finem non habent.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut verba Concilii adhibeantur (n. 2 Decr. de institutione sacerdotali): « ut vocationes divinas et sequi libenter valeant ».

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam: « ita educationis rationem instituant quae apta sit ad iuvenum vocationes excollendas ».

Rev.mus quintus Consultor notat quod verbum « iuvenum » potest omitti: Placet.

Rev.mus quartus Consultor quaerit ut post « apta » adiungatur « etiam »: Placet.

Textus, cum emendationibus receptis, placet.

§ 1, n. 3º

Exc.mo primo Consultori non placent verba « allectent » et « inducentes ». Potius quam « allectent », quia pro ipso allicere non est proprium, diceret « percipient ».

Rev.mus sextus Consultor notat Concilium verbo « trahant » uti: quod verbum tamen nimis durum est, secundum Rev.mus Secretarium Ad.

Exc.mo secundo Consultori placet « allicere » non tamen « inducentes ».

Explicit Rev.mus Secretarius Ad. modum, quo allestantur, determinari vita sacerdotali, nempe, et zelo apostolico. Hoc in casu, notat Rev.mus quintus Consultor, propositionis subiectum ne sit « sacerdotes » sed eorum vita.

Post aliquam disceptationem, Rev.mus Secretarius Ad. textum, qui sequitur, proponit addendum, post « peracta »: « adolescentibus exi-
mum vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia
semper ad vocationes sacerdotales suscitandas, easque, si quas percipere
existiment, operam dent ».

Placet textus et integer numerus probatur.

§ 1, n. 4º

Exc.mus primus Consultor desiderat ut idea exprimatur coordinationis inceptorum ad vocationes fovendas, quia saltem aliqua coordinatio haberi debet. Rem in praxi difficilem esse tenet Exc.mus tertius Consultor, qui maximam difficultatem ex parte Religiosorum praevidebat, quia difficultas est in distributione vocationum ex parte Episcoporum.

Exc.mus secundus Consultor de aliqua coordinatione refert ad quam pervenerunt Conferentia Episcoporum et Religiosi in Hispania.

Rev.mus septimus Consultor citat n. 2 Decreti conciliari de institutione sacerdotali, qui haec habet « arctam omnium virium curare coniunctionem ».

Exc.mus primus Consultor petit ut insuper addatur aliquid de sic dictis operibus vocationum; quae additio, notat Exc.mus secundus Consultor, fieri potest post « foveant ».

Rev.mus Secretarius Ad. textum proponit secundum suggestiones factas, qui sic sonat: « ... incepta ad vocationes fovendas, opera praesertim ad hoc instituta suscent, sustineant, ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina... ».

Placet omnibus textus et integer numerus approbatur.

Quoad § 2:

Rev.mus quartus Consultor proponit ut loco « maioris aetatis » dicatur « maturioris aetatis »: Placet.

Iuxta Rev.mum sextum Consultorem paragraphus 2º nimis generalis est. Necessarium esset aliquid de inceptis et operibus pro illis dicere.

Rev.mi quintus Consultor et Secretarius Ad. notant aliquid haberi ubi de Ordine agitur et videbitur an casus ferat hic illa transferendi.

Iuxta Exc.mum primum Consultorem verbum « incitentur » est nimis stringens.

Rev.mus sextus Consultor notat Concilium uti verbo « adiuvare ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « prudenter verbo ope-reque adiuventur »: Placet.

Textus probatur cum emendationibus admissis.

Canon 4

« § 1. Prout id sinant locorum adjuncta, serventur ubi exsistunt Seminaria minora aliave instituta id genus, in quibus nempe, vocationum fovendarum gratia, peculiaris formatio religiosa una cum institutione humanistica iuvenibus traditur; immo, ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni provideat.

§ 2. In seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exstant, admittantur iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adjuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ad sacerdotium se conferre, ea ornentur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda praeparentur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant ».

Quoad § 1:

Exc.mus primus Consultor aliquam habet difficultatem ex expressionibus « aliave instituta id genus » et « similis instituti ». Et hoc, dicit idem Exc.mus Dominus, valet praesertim pro § 2. Concilium haec habet « quae pro locorum adjunctis Seminiorum Minorum quoque fini inserviunt » (Decr. de institutione sacerdotali, n. 3).

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. expressionem « similia instituta » significare scholas apostolicas quae Seminariis minoribus assimilantur; tamen promittit pro proxima vice textum exhibere cum verbis Concilii. Pro nunc additur verbum « et scientifica » post « humanistica ».

Quoad § 2:

Exc.mus secundus Consultor suggerit ut loco « admittantur » dicatur « admitti possunt » ne textus videatur obligationem imponere eos qui non habent vocationem admittendos: Placet.

Exc.mus tertius Consultor notat haec innovationem in iure esse, quia abolitae sunt Institutiones mixtae. Oportet autem ne res nimis extendatur, ad vitandos excessus praeteriti temporis. Circa necessitatem hoc admittendi, ex adverso insistunt Rev.mi Secretarius Ad. et quintus Consultor.

Exc.mus tertius Consultor deleret verba « ad... vocatos non aestiment », sed, hoc modo, contradicit Rev.mus Secretarius Ad., totus canon supprimeretur.

Exc.mus secundus Consultor animadvertisit hoc admissum non esse in Hispania.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « ... etiam qui vocationis ad sacra ministeria non sint consci ».

Exc.mus tertius Consultor petit ut « omnino consci » dicatur. Sed Rev.mus quintus Consultor animadvertisit quod etiam qui se praeparant ad sacerdotium non sunt omnino consci de propria vocatione.

Exc.mus secundus Consultor quaerit an necessarium sit in Seminariis admittere alios ut qui iam ibi sunt liberi se sentiant: ipsi non videtur.

Exc.mus tertius Consultor petit ut saltem adiungatur « iudicio Episcoporum Conferentiae ».

Exc.mus primus Consultor animadvertisit, si admittuntur alumni qui non aestiment se ad sacra ministeria vocatos, non amplius nos habere Seminaria minora sed Collegia, Convictus vel alia huiusmodi.

Rev.mi quintus Consultor et Secretarius Ad. insistunt, quia revera extant ista Seminaria.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut adiungatur, iuxta suggestionem Exc.mi tertii Consultoris, « si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expedit ».

Rev.mus quintus Consultor quaerit an hoc modo pro Episcopis dioecesis libertas habeatur iudicandi de situatione propriae dioecesis. Animadvertisit tamen Exc.mus tertius Consultor conditions easdem non esse pro unaquaque regione, ita ut Conferentia statuere possit an expedit vel non.

Attamen, Rev.mus quartus Consultor notat decisiones Conferentiae Episcopos singulos non obligare. Exc.mus secundus Consultor notat eos obligari decretis Conferentiae, si a Codice potestas confertur eidem Conferentiae.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « si de iudicio Conferentiae Episcopalis regionalis vel districtus regionalis id expedit ».

Hoc modo — animadvertisit Exc.mus secundus Consultor — si Con-

ferentia id expedire aestimet, Episcopus potest, sed non tenetur, admittere; dum si a Conferentia vetatur, Episcopus non potest.

Idem Exc.mus Dominus et Rev.mus septimus Consultor praferunt ut remaneant verba « qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment », pree « non sunt consciit », quasi admittatur vocatio obiectiva cuius non sint consciit.

Exc.mus tertius Consultor instat ut « expresse » vel « explicite » dicatur ante « non aestiment », et ut in concreto Conferentiae sibi responsabilitatem assumant. Notat insuper idem Exc.mus Seminarium collegium et scholam comprehendere; ad scholam etiam alii possunt admitti, non autem ad collegium. Si adsunt exceptiones, non est facienda lex pro exceptione. Cauta procedendum est, quia ius creator ad Seminaria ingredienda pro iis, qui ne speciem quidem habent vocationis.

Rev.mus Secretarius Ad. instat ut stetur formulae priori.

Suffragatione facta, expressio « non aestiment » placet Exc.mo secundo Consultori, Rev.mis septimo, sexto ac quinto Consultoribus et Secretario Ad.; « non sint consciit » placet Exc.mis tertio ac primo Consultoribus. Rev.mus quartus Consultor indifferentem sese declarat.

Admittitur ergo paragraphus uti iacet, cum emendatione « admitti possunt » loco « admittantur » et adiungendo « si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat », post « ubi exstant ».

Quoad § 3:

Exc.mus primus Consultor notat textum nimis de humanistica institutione agere.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. normam videri omnino necessariam quia Seminaristae eandem debent habere præparationem quoad studia ac alii iuvenes, nisi in peculiaribus casibus Conferentia Episcoporum aliud statuat.

Placet textus.

Canon 5 (1354, § 2 CIC)

« § 1. Pro regula generali habeatur ut adolescentes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per tres vel quattuor saltem annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi loci vel temporis adiuncta id requirant, in casibus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparant illam inter se consuetudinem habent, qua fraterna inter eos amicitia quam maxime foveatur ».

Pro regula habeatur, notat Rev.mus Secretarius Ad., quod formatio intra saepa Seminarii tradatur; potest tamen Episcoporum Conferentia, cum singulis Episcopis, aliter decernere.

Placet textus.

Canon 6 (1353, §§ 2 et 3 CIC)

« Seminaria maiora habeantur sive pro ipsa dioecesi, ubi id fieri possit et expediat, sive pro variis simul dioecesibus, secundum Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis aestimationem ».

Cum nulla sit animadversio textus canonis probatur sicuti iacet.

Canon 7 (novus)

« Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent ».

Textus placet.

Canon 8 (1358 CIC)

« § 1. In quolibet Seminario habeantur Rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, atque magistri seu professores, scientia et virtute praestantes qui composita inter se de earum coordinatione ratione, varias disciplinas tradant alumnis in Seminario lectiones attentionibus.

§ 2. In quolibet Seminario duo saltem spiritus directores, qui, servato quidem omnino secreto de iis quae ad singulos spectant, communibus consiliis inter se habitis, de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respiciunt coetus deputatorum:

1) alter constituantur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali, eligantur sacerdotes, quos Episcopus consulere potest, immo et in negotiis maioris momenti, uti sunt admissio et dimissio alumnorum, audire debet;

2) alter constituantur, cuius membra modo ab Episcoporum Conferentia statuto, designentur aliqui Seminarii professores et alumni, qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam Rectori operam praestet.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum temporalium administratione, cuius membra ab Episcopo, auditio item Consilio presbyterali, eligantur clerici vel etiam laici in re oeconomica periti; hoc munere fungi non possunt Rector et oeconomus et directores spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in §§ 3 et 4, ad sexennium elegantur, sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa amoveantur ».

Quoad § 1:

Rev.mus Secretarius Ad. hanc, quae sequitur, proponit formulam:

« In quolibet Seminario habeatur Rector atque, si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui composta inter se de earum coordinatione ratione, varias disciplinas tradant ».

Placet textus omnibus.

Quoad § 2:

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit quod in ultima sessione Exc.mus primus Consultor instavit ut plures in Seminario essent directores spiritus.

Exc.mus tertius Consultor dicit duo servanda esse, nempe unitas directionis et libertas conscientiae et hoc modo habebatur — in Codice et in praxi — unus director et plures confessarii.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit non in omnibus Seminariis duos directores spiritus habendos esse; possunt hoc munere fungi etiam professores, ita ut unus nominetur et alii ab alumnis sint selecti. In multis dioecesibus unum tantum invenire difficile est. Necessaria est aliqua libertas etiam pro directione spiritus et non tantum pro confessione, animadvertisit Rev.mus sextus Consultor.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: « ... unus saltem..., relicta libertate alumnis adeundi alias sacerdotes, qui de eorum formatione spirituali curam habeant ».

Placet.

Rev.mus Secretarius Ad. et Rev.mus quartus Consultor animadver-tunt de collaboratione inter eos loqui non debere.

Quoad § 3:

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba, in *n. 1°*, « uti sunt admissio... alumnorum » deleantur, quia Episcoporum Conferentiae est hanc et alias determinationes statuere: Placet.

Quoad *n. 2°*, Exc.mus tertius Consultor animadvertisit in eadem linea positos esse tum sacerdotes, professores tum alumnos. Dicatur saltem alumnos tantum habere votum consultivum et quidem tantum in Seminario Maiori.

Consentit Rev.mus quartus Consultor. Rev.mus quintus Consultor notat in Seminariis Germaniae alumnos habere votum tantum consultivum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus ita modificetur: « ... cuius membra, secundum Episcoporum Conferentiae praescripta, designen-tur aliqui Seminarii professores, immo vel, in Seminario Maiori etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam... ».

Rev.mus Secretarius Ad. observat quod hoc modo libertas relinquitur alumnos admittendi vel non.

Exc.mus tertius Consultor declarat se satisfactum non esse: historia docet progressum et regressum adesse et videbitur quid in futuro erit. Melius est si S. Congregatio de Educatione Catholica normas conficiat quae publici iuris fient.

Textus relinquitur uti est cum emendatione a Rev.mo Secretario Ad. proposita et postea adhuc res considerabitur.

Quoad § 4:

Disceptatio habetur circa naturam huius coetus deputatorum, an vocem consultivam vel deliberativam habeat; ac utrum Rector et prae-sertim Oeconomus debeant coetui saltem participare.

Exc.mus tertius Consultor petit ut adiungatur quod in fine cuiuslibet anni ratio dati et accepti huic coetui submittatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut hoc sensu canon redigatur quod coetus deputatorum valeat « determinare rationem reddituum et

expensarum et audiendus sit pro praecipuis et momentosis rebus, pro alienatione bonorum immobilium et rerum pretiosarum ».

Quoad § 5:

Adiungatur post « § 3 », citationem « n. 1 », ita ut habeatur « Deputati, de quibus in § 3, n. 1 et 4, ... », quia alumni non degunt in Seminario per sexennium.

Placet.

Canon 9 (1361 CIC)

« § 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessariorum votum exquiri potest ».

Quoad § 1:

Aliqua habetur disceptatio circa opportunitatem dicendi, quoad confessarios, « quemlibet sacerdotem » vel « sacerdotem ab Ordinario approbatum », vel adhuc « ad confessiones audiendas habilem ».

Rev.mus Secretarius Ad. videt formulam, quae in alio coetu habebitur.

Paragraphus 2^a placet.

Romae, die 24 aprilis 1969.

M. DE NICOLÒ, *Actuarius*

CANONES APPROBATI

TITULUS: DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Canon 1

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur, atque simul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

Canon 2

§ 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum etiam est educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiiae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere, quorum opera filiorum formationi providere valeant, ideoque et ea eligere media et instituta, quibus, iuxta locorum adiuncta et attentis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis, filiorum educationi christiana aptius prospiciatur.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis quibus in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda indigent, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eis formatio tradatur christiana harmonico gressu cum profana progrediens.

Canon 3

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, creditibus vitam Christi communicandi om-

nesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles, paeprimis iuvenes, fruantur.

Canon 4

Ecclesiae est adiutricem suam operam praebere ad iuvenum prae-
sertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quippe quae
ad commune omnium patrimonium pertineant, et ita insimul Ecclesia
omnibus populis adiutorium praestat ad promovendam integrum perso-
nae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris pro-
vehendum atque humanius hunc mundum aedificandum; immo, speciali
ratione ipsi officium est ut, quantum id requirant adiuncta, formationi
operam det in disciplinis terrenis, quatenus nempe cum vocatione homi-
nis supernaturali intime connexae sint.

Canon 5

§ 1. Cum vera educatio integrum persequi debeat personae humanae
formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum com-
mune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione
partem habet, pueri et adulescentes ita excolantur oportet ut suas dotes
physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectio-
rem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et
ad vitam socialem active participandam conformentur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui
in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua
iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorum
educationi christianaee obstent, eidem quam maxime faveant, utque
omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.

Art. 1

DE SCHOLIS

Canon 6

§ 1. Inter media ad excolendam educationem christifideles magni
faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis implendo
praecipuo auxilio sunt.

§ 2. Cum magistris scholarum, quibus filios educandos concredant, parentes arcte cooperentur oportet, eos sua fiducia omniue ope sustentantes; qui vero magistri, sive clerici vel religiosi sive laici, eximio muneri iuvenes educandi in scholis se devovent, cum, ad bonum quidem societatis insimul dum adlaborant, locum teneant parentum, in officio suo persolvendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi sunt quorumque consociationes vel conventus instaurentur atque magni existimentur.

Canon 7

Parentes, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur.

Canon 8

§ 1. Parentes, quantum id sinant adjuncta, filios concredant illi scholis quae uti reapse catholicis a Hierarchya sint agnita; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo diocesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. In casibus in quibus filios scholis de quibus in § 1 concredere non possint, ipsi parentes obligatione tenentur curandi ut extra scholas debitae eorundem educationi christianaee prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica competenti latas.

§ 3. Episcoporum Conferentiis, atque, earundem praescriptis attentis, Episcopis dioecesanis competit normas edicere, territorii sui conditionibus aptatas, quibus officia definitur parentum quibus, certis in adjunctis, filios scholis non catholicis concredere licet.

Canon 9

Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant.

Canon 10 (1375)

Ecclesiae ius est scholas cuiusve disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi.

Canon 11 (1379)

§ 1. Si praesto non sint, quae ab incoeptis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcoporum diocesanorum est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expedit, Episcoporum diocesanorum est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant.

Canon 12 (novus)

§ 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentiae et locorum Ordinarii ut institutio quae in iisdem traditur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non catholicarum sui territorii, curantes praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes.

Canon 13

§ 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuuentutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiarum et locorum Ordinariorum est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Locorum Ordinariis competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae sint et dirigantur; eisdem etiam competit praescripta edere quae ad generali attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta etiam valent de scholis quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.

§ 3. Episcoporum Conferentiis atque locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationem christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertierad adhibeantur.

Canon 14 (1381 § 3)

§ 1. Episcoporum Conferentiis pro scholis interdioecesanis sui territorii, locorum Ordinariis pro sua cuiusque dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in directorio alicui regioni proprio.

Canon 15

Curent Episcopi dioecesani singularum regionum ecclesiasticarum, consiliis quidem inter se atque cum Episcopis dioecesanis aliarum etiam regionum initis, ut de re scholastica communis quantum fieri possit adhibetur agendi ratio, utque inter scholas diversarum regionum apta foveatur coordinatio atque, quatenus id sinant adiuncta, etiam collaboratio. (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12).

Art. 2

DE STUDIORUM SUPERIORUM INSTITUTIS

Canon 16 (olim 22)

Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur disciplinae scientificae, quippe quae, ad altiorem hominum culturam cum conferant, bono eorum spirituali quoque proficiant, quaeque praeterea, ad profundorem rerum cognitionem cum laborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant.

Canon 17 (olim 23)

Nulla studiorum Universitas nomen « Universitatis catholicae » gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen « Universitas catholica » ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia, audita Apostolica Sede, concessum sit.

Canon 18 (olim 24)

Ubi, attentis omnibus adiunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae current ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altioris promovendo studio (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

Canon 19 (olim 25)

Ut theologica inquisitio arctius cum quaestionibus cuique temporis propriis coniectatur atque hominibus variarum disciplinarum excultoribus ad pleniores fidei quoque scientiam universalioremque ordinis creati cognitionem auxilio esse valeat, current Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expediat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem cathedra S. Theologiae, in qua lectiones pro laicis quoque tradantur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. *Gaudium et spes*, n. 57).

Canon 20 (olim 26)

In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientiae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, atque adeo etiam altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. *Gaudium et spes*, n. 36).

Canon 21 (olim 27)

Current Universitatum catholicarum moderatores et professores ut variae Universitatis Facultates sibi inter se praestent operam, atque am-

plam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando eosque promovendo, in scientificis per vestigationibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12).

Canon 22 (olim 28)

Provideant Episcoporum Conferentiae regionis atque locorum Ordinarii ut christifidelibus adultis quoque praebeatur possilitas ad profundiorem in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academie scientiarum religiosarum, in quibus nempe docentur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent.

Canon 23 (olim 29)

Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniorum veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur.

Art. 3

DE UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS
STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

Canon 24 (olim 15)

§ 1. Ecclesia, vi munera sua veritatem revelatam docendi, fovet Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum, quae scilicet fines persequuntur ea quae ad disciplinas sacras vel cum sacris connexas pertinent per vestigandi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientifice instituendi (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 11).

§ 2. Cultus ac promotio scientiarum ecclesiasticarum scientifico prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianaee plenius aperiatur,

quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur atque dialogus etiam cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus foveatur (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 11).

§ 3. Quo altior ipsis scientifica tradatur formatio, instituantur alumni praecipue in directa fontium cognitione, in investigationibus aliorumque laborum scientificorum usu, atque edoceantur in conclusiōnibus ad synthesis redigendis, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant.

Canon 25 (olim 16)

§ 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum consti-
tui tantum possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab
eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiastico-
rum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet instituti religiosi vel
saecularis, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata.

Canon 26 (olim 19)

Quo Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum valore
scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta rati-
one distribuantur, iudicium de earundem erectionis opportunitate com-
petit sive Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius in-
terest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apo-
stolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 16, earundem erectio-
nenm approbare (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

Canon 27 (olim 17)

Gradus academicos, qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo
conferre potest nisi ex facultate a Sancta Sede concessa.

Canon 28 (olim 18)

Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant
studiorum rationem, quae determinatur ab Apostolica Sede et, servatis
quidem normis ab eadem editis, ab auctoritate ad quam, secundum earum
statuta, suprema hac de re in iisdem Universitatibus Facultatisve ordi-
natio spectat.

Canon 29 (olim 20)

§ 1. Quatenus dioecesis aut Instituti religiosi vel saecularis, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes ad Universitates Facultates studiorum ecclesiasticorum mittere clericos et sodales indole, virtute et ingenio praestantes (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 18; Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

§ 2. Ordinariorum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint, qui in Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordinariorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastorali quoque prospicere (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 18).

Canon 30 (olim 21)

Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent (cf. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12; Const. *Gaudium et spes*, n. 62).

SCHEMA CANONUM DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Canon 1 (1352 CIC)

Ecclesiae officium est atque ius proprium et exclusivum eos instituendi qui, ut ad ministeria ecclesiastica deputentur, se praeparant.

Canon 2 (novus)

Auctoritates quae de clericorum institutione normas edant competentes sunt Sancta Sedes et praeterea, ad institutionem clericorum dioecesanorum quod attinet, Episcoporum Conferentiae regionis et districtus regionalis atque Episcopi dioecesani, ad normam canonum qui sequun-

tur, ad institutionem clericorum in Institutis religiosis vel saecularibus, eorum Superiorum, ad normam iuris et Constitutionum.

Canon 3 (1353 CIC)

§ 1. Universae communitati christiana officium incumbit fovendarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1) ipsi parentes christiani curent ut familiae suae ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustententur;

2) magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, praecipue Consociationes iuvenum catholicae, educationis rationem instituant quae apta sit etiam ad vocationes excolendas;

3) peculiari ratione sacerdotes, prae caeteris parochi, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentibus eximium vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia semper ad vocationes sacerdotiales suscitandas, easque, si quas percipere existiment, operam dent;

4) Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incepta ad vocationes fovendas, opera praesertim ad hoc instituta, suscitent, sustentent ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni ope adiuvent.

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maturioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter verbo opereque adiuventur ac debite praeparentur.

Canon 4

§ 1. Prout id sinant locorum adjuncta, serventur ubi exsistunt Seminaria minora aliave instituta id genus, in quibus nempe, vocationum fovendarum gratia, peculiaris formatio religiosa una cum institutione humanistica et scientifica traditur; immo, ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni provideat.

§ 2. In seminariis minoribus similibusque institutis, ubi extent, si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat, admitti possunt iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adjuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ad sacerdotium se conferre, ea ornentur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda praeparentur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant.

Canon 5 (1353, § 2 CIC)

§ 1. Pro regula generali habeatur ut adolescentes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Conferentiae regionalis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per tres vel quattuor saltem annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi loci vel temporis adjuncta id requirant, in casibus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra seminarium legitime morantur, ab Ordinatio commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparant illam inter se consuetudinem habeant, qua fraterna inter eos amicitia quam maxime foveatur.

Canon 6 (1353 §§ 2 et 3 CIC)

Seminaria maiora habeantur sive pro ipsa dioecesi, ubi id fieri possit et expediat, sive pro variis simul dioecesibus, secundum Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis aestimationem.

Canon 7 (novus)

Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent.

Canon 8 (1358 CIC)

§ 1. In quolibet Seminario habeantur Rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, atque si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui, composita inter se de earum coordinatione ratione, varias disciplinas tradant.

§ 2. In quolibet Seminario unus saltem adsit spiritus director, relictâ libertate alumnis adeundi alios sacerdotes, qui de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respi- ciunt coetus deputatorum:

1) alter constituatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali, elegantur sacerdotes, quos Episcopus consulere potest, immo et in negotiis maioris momenti, audire debet;

2) alter constituatur, cuius membra, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae, designentur aliqui Seminarii professores immo vel, in Seminario Maiori etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam Rectori operam praestet.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum temporalium administratione, cuius membra ab Episcopo, auditio item Consilio presbyterali, elegantur clerici vel etiam laici in re oeconomica periti; hoc munere fungi non possunt Rector et oeconomus et directores spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in §§ 3 n. 1 et 4, ad sexennium elegantur, sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa amo- veantur.

Canon 9 (1361 CIC)

§ 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessariorum votum exquiri potest.